

4932 Noboli prope Gardone in Valle Trompia rep. 1713 in columnae frusto domi alicuius vilici AVER.

BRASENNO
SEX
VALERIVS
PRIMVS
5 L · M

Iul. Antonius Averoldus accepit ab amico (Fortunato Vinacesio secundum quosdam) misitque Camillo Silvestrio 10 Ian. 1714, quam epistolam repperi scriptam et Rovigi in museo Silvestriano et Brixiae in miscellaneis Averoldi vol. XVI f. 97, editam apud Labusium *Poligrafo di Milano* 1813 a. 3 p. 776. Praeterea ex Averoldianis traxit Brognoli misc.

4933 cippus. Serezii vallis Trumpeae in ecclesia SS. Faustini et Iovitae FERRARINIANI. Sarezzi in coemeterio GNOCCHI. Iam ex domo fabricae eius communis Brixiae in museo. — In suburbio Brixiano GRUT. errore.

PRISCVS · SEX · F
SIBI · ET
PONTIAE
TERTVLLAE
5 VXORI

Contuli. Habet Ferrarinus in Verderiano p. 39, 2 (inde Grut. 819, 10); pendent inde Mediceus n. 128; Arragonensis n. 240=371; Rossi ms. f. 156; Vinacesi p. 298 (inde Mur. 1393, 7). Denuo ex lapide Gnocchi cod. Mant. f. 7', syll. p. 254; Ioli cat. mus. f. 59; Mazzoldi *strenna Bresciana per l'a.* 1851 p. 59.

1 SEX · F Med. m. 2 Gnocchi Ioli, SEXT priores.

XLIX. CAMVNNI (*Civitate di Val Camonica*). Tribu Quirina.

Camunni (sic cum *n* duplici titulus n. 4957 et Plinii libri optimi quique, *Καμουνοι* libri Strabonis locis mox citandis) natione Raeti secundum Strabonem 4, 6, 8 p. 206, Euganei secundum Plinium 3, 20, 134, nominantur inter gentes Alpinas ab Augusto devictas in inscriptione tropaei ei a. 747/8 dedicati a senatu populoque Romano (apud Plinium 3, 20, 136), quo facto ius Latinum videntur accepisse et finitimo alicui oppido attributi esse teste Plinio (l. c. 134: *Latini iuris Euganae gentes . . . ex iis Trumplini . . . dein Camunni compluresque similes finitimis attributi municipiis*). In titulis dicuntur modo *civitas* (n. 4954 scripto imperante Tiberio), modo *res publica* (n. 4957. 4960. 4964), magistratus eorum inveniuntur soli *duo viri iure dicundo* (n. 4957, ubi est *II vir i. d. Camunnis, aedil. quaest. praef. i. d. Brix.*; item n. 4935. 4959. 4967. 4969). Item nominantur *sacerdotes Caesaris* (n. 4966) mulieres et *Augusti viri* (n. 4950. 4960 cf. n. 4965); *sexvir Flavialis* (n. 4968) num spectet ad rem publicam Camunorum, non definitio. *Vicani Grebiae* n. 4962 plane obscuri sunt. Tribus est nec Fabia Brixianorum nec Voturina Bergomatium, sed Quirina (n. 4957. 4959. 4960. 4967. 4969. 4970. 4972. 4973. 4974). Quae vix crediderim ita expedienda esse, ut Camunni post Plinii aetatem statum mutaverint plena civitate donati; immo quidquid supra posuimus, etiam Latini iuris oppido convenit, quod potuit vel adeo debuit habere magistratus sacerdotesque suos, item tribum suam ita, ut Camunni per magistratum civitatem Romanam adepti ei adscriberentur. Quid quod civitatis appellationem in rebus publicis pleni iuris insolitam in re publica

iuris Latini non improbabile est propriam et sollemnem fuisse. Id quoque optime sic explicatur, quod inveniuntur Camunni cum milites (n. 4951. 4958) tum sacerdos mulier (n. 4966) nomina habentes formae non Romanae, sed Raeticae. Sermonis quoque Raetici usum diu in hisce partibus durasse tegulae docuerunt ad Civitate repertae inscriptae litteris epichorriis. Cuiam oppido Camunni attributi fuerint, non tam certum est quam vulgo putant. Per locorum enim naturam cogitari potest tam de Bergamo quam de Brixia, nec tituli rem decidunt; nam in n. 4310, quem dedicarunt . . . *ni et Trumplini Brixiae*, tam Sabinorum quam Camunorum nomen potest suppleri. Sed aliquod momentum habet quod in inscriptione supra allata n. 4957 duovir Camunnis item minoribus magistratibus functus esse dicitur Brixiae, quod talem utriusque rei publicae coniunctionem indicare videtur, qualem requirimus. — Tituli omnium antiquissimi duo n. 4966 sacerdotis Caesaris et n. 4954 dedicatus Druso Ti. f. reperti sunt Rogni in valle inferiore, ubi fortasse primo tempore Camunni sedem rei publicae posuerunt; recentiores (praeter paucissimos et argumenti mere privati repertos in vicis Lovere et Pescarzo) prodierunt ad Civitate et in vicis circum situs Losine Breno Malegno Bienno Berzo Esine Ossimo Borno, nec dubium est ibi posteriore tempore civitatis forum fuisse. Denique huc rettuli titulum n. 4935 Marasini ad lacum Iseum superiorem repertum, quoniam tribus eum coniungit cum Camunorum titulis; repertos ad inferiorem lacum per ripam orientalem dedi inter Brixianos, per occidentalem inter Bergomates.

4934 Ossemi *di sotto* in valle Camonica in ecclesia S. Damiani. — Bidicioli in plebe ROSSI male.

ALANTEDOBA
SEX · CORNELIVS
PRIMVS
V · S · L · M

Habent Continuator (Corsini n. 160; Mediceus n. 185; Rossi p. 270; Mur. 100, 1 ex Rossio; Orelli 1956); item Arragonensis ms. n. 269 = 29, ed. n. 26 (unde pendent Mediceus in add. n. 275 et Totti p. 95 n. 258), qui et ipse fortasse traxit a Continuatore; Ormanico ms. et *rel. dei Camuli* (1639) app. p. 4 ex Mediceo et exemplo quod misit cancellarius publicus vallis Camonicae Albertus Isonnus. A prioribus Gnocchi cod. Mant. f. 6, syll. ms. p. 152 et Labus p. 97 n. 138 et p. 99 n. 139.

1 ALANTEDOBA Cors. Med. 185 Orm. (ms.), ALANTAEDOBÆ Orm. (ed.), AL (rel. om.) Arr. Totti, A Med. 275. — 2 SEX . . CORNELIVS Orm. (ed.). — 3 PRIMIO Orm. (ms.). — Titulum falsum iudicavit Orellius sine causa.

4935 cippus ex marmore nigro, scriptus litteris non bonis, sed certis. In villa de Salis Marsini ripariae Isei in ecclesia S. Zenonis FERR. (VERD.) similiterque FERRARINIANI RELIQUI. Salis Marasini in S. Zeni ad aquam benedictam ARR. Sale di Marasino in hortis archipresbyteri GNOCCHI. Inde a. 1824 venit Brixiam in museum.

CAVTOPATI
G · MVNATIVS
QVIR · TIRO II VIK
I · D · ET · G · MVN
5 ATIVS · FRONTO
FILIVS · D · D ·

Contuli. Habet Ferrarinus cod. Reg. Brix. n. 146, cod. Verderiano p. 77 (inde Grut. 89, 5); pendent inde Traiectinus n. 123; Mediceus n. 164; Arragonensis ms. n. 257 = 54, ed. n. 116; Manutius Vat. 5237 f. 141; Rossi p. 149; Vinacesi p. 270; Panvinus cod. Vat. 6035 f. 122'; Ligorius ms. Neap. 36, 374. Denuo ex lapide Gnocchi ms. p. 188 (inde Donat. 54, 10); Ioli cat. mus. f. 50; Labus apud Orellium 5056 et in ann. inst. arch. 1846, 268 et *marmi Bresc.* p. 43 n. 61, ubi dedit delineatam.

1 post CAVTO punctum nullum. CAVTOPAN Ferrarinus cum Arr. (ms.) Man. al., CAVTO Arrag. (ed.); veram lectionem protulit primus Gnocchius.